939

28,889/A

√/2

A x o 2

Hippocrates III

Lewis
16/-
10/12/28

16/-

54939

MAGNI HIPPOCRATIS COI APHORISMI

CUM CONCORDANTIA EORUMDEM AC INDICE LOCUPLETISSIMO.



LOVANII.
Typis ÆGIDII DENIQUE

ELLCOME
HIS
MEDIC
LIBRARY

AD
LECTOREM.
BENEVOLUM

HIppocratis opera, quidquid de iis infeliciori ævo ſenſerint Medici aliqui nimis theoretici, conſtat hodie à Clariſſimis omnium gentium & Academiarum viris ſic celebrari & coli, ut nullos de Arte Medica præſtantiores ſalubrioreſque libros exiſtere credendum ſit. Horum autem excellentia & dignitas quantùm ſinceros Medicinæ candidatos ad legendum & perſcrutandum incitat & accendit, tantùm iiſdem molis, obſcuritas & exemplarium penuria difficultatis adfert & mo-

leſtiæ. Quapropter ut Eximia Medicinæ antiſtitis doctrina, ex aliqua ſaltem parte, ab omnibus, qui eam tam avidè cupiunt, commodè queat deguſtari, viſum fuit *Aphoriſmorum* ipſius per novam hanc editionem copiam facere. Nimirum volumen conſtituunt perexiguum & modico ſumptu parabile, ſed in quo univerſæ diſciplinæ & artis hippocraticæ medullam expreſſam habeas. Nam quid ſunt hi *Aphoriſmi*? Niſi ſententiæ quædam graviores, vel breves & ſelectæ regulæ, quæ ab autore ſcientiâ jam & ætate conſummato, atque opera ſua revidente, quaſi quædam Medicinæ oracula, vel ut alii volunt, miracula editæ fuêre: & in quibus idem ſcriptor, teſte Suidâ, ſe ipſum ſuperaſſe videtur.

Accipe nunc benevole Lector

AD LECTOREM

ctor quid in hac editione *Aphoriſmorum* præſtitum ſit.

1 Interpretes Hippocratis mirùm quàm ſæpe inter ſe differant diffideantque; propterea fortaſſis quod quiſque ad ſuam mentem & theoriam flectere autoris verba & detorquere voluerit. In hac verò verſione, quantùm per ſermonis latini proprietatem licuit, verbum verbo fideliter redditum eſt.

2. Quoties occurrit vocabulum aliquod græcum, quod plures admittit interpretationes à ſenſu *Aphoriſmi* non abhorrentes, placuit eaſdem apponere, quo poſſet lector faciliùs per ſe ipſum de ſententia Hippocratis judicare.

3. Ad tollendam obſcuritatem, quæ ex hâc interpretandi ratione accidere potuit, adhibetur non raro ſuppletio alicujus voculæ, quæ ut lectori non

lateat, litteris *ſubciſivis*, picta eſt.

4. Quæ græca nomina apud Medicos latinè tractantes, uſu recepta ſunt, hìc etiam retinentur, etſi ſæpiùs in gratiam tyronum Latina ſignificatio in parentheſi adjiciatur.

5 Adnotata inſuper eſt Aphoriſmorum concordantia: hoc eſt, poſt quemlibet Aphoriſmum aſſignati ſive citati ſunt alii Aphoriſmi, qui ſuperiorem vel aliquam ejus partem, elucident, confirment, vel quoquo modo attingant.

6. *Sectio* indicatur ſyllabâ ſect. vel litterâ S. item *Aphoriſmus* ſyllabâ Aph. vel litterâ A.

7. Accedit index locupletiſſimus.

Vale Lector, & hiſce utere in id quod data ſunt; in corporum ſalutem, & Dei gloriam.

HIPPOCRATIS
APHORISMORUM
SECTIO PRIMA.

I.

Vita brevis, Ars verò longa, tempus præceps, experimentum periculoſum, judicium difficile. Oportet autem non ſolùm ſe ipſum exhibere quæ oportet facientem, ſed etiam ægrum, & præſentes, & externa.

2. In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontè factis ſiquidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert & facilè ferunt: ſi verò non, contrà. Sic & vaſorum depletio ſiquidem, qualem oportet fieri fiat, confert, & facilè ferunt: ſi vero non, contrà. Reſpicere igitur oportet & regionem, & tempeſtatem, & ætatem, & morbos, in quibus oportet, aut non.
Sect. 1. *Aph.* 25. 17. *Sect* 2. *Aph.* 14. *Sect.* 4. *Aph.* 2. 21. *Sect.* 7. *Aph.* 23.

3. In exercitiis Gymnaſticis utentibus ad

ad ſummum bonæ corporis habitudines periculoſæ, ſi in extremo fuerint. Non enim poſſunt manere in eodem, neque quieſcere : cum verò non quieſcant, neque amplius poſſint ad melius progredi: ſupereſt ergò in pejus *labantur*. Horum igitur causâ bonum habitum ſolvere confert non tardè, ut rurſum renutritionis, initium accipiat corpus. Neque confidentiæ *vaſorum* ad extremum ducendæ, periculoſum enim: ſed qualis fuerit natura ejus, qui perferet, eouſque ducendæ. Similiter evacuationes ad extremum ducentes periculoſæ. Et rurſum renutritiones in extremo exiſtentes periculoſæ.

Sect. 2. Aph. 22. 51.

4. Tenues & *planè* accuratæ diætæ (ſeu victûs rationes) & in longis ſemper affectionibus, & in acutis, ubi non expedit, periculoſæ ſunt. Et rurſus diæta ad extremum tenuitatis perductæ difficiles ſunt. nam & repletiones ad extremum perductæ difficiles ſunt.

Sect. 1. Aph. 3. 5.

5. In tenuibus diætis delinquunt ægrotantes: ideò magis læduntur. Omne enim delictum, quodcumque fiat, multò majus fit in tenuibus, quàm in paulò plenioribus diætis. Quapropter etiam ſanis periculoſæ ſunt valdè tenues, & conſtitutæ, ac exactæ diætæ; quia delicta gravius ferunt. Ob hoc igitur tenues, & accuratæ diætæ multò periculoſiores paulô plenioribus.

Sect. 1. Aph. 4. 6.

6. Ad extremos verò morbos, exactè extremæ curationes optimæ ſunt.

7. Ubi igitur peracutus eſt morbus, ſtatim extremos labores habet, & extremè tenuiſſimo victu uti neceſſarium eſt. Ubi verò non, ſed pleniore victu uti licet, tantùm *a tenui* recedendum, quantum morbus extremis mitior fuerit.
Sect. 4. Aph. 10.

8. Cum in vigore fuerit morbus, tunc & tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt.
Sect. 2. Aph. 29.

9. Conſiderare autem oportet etiam ægrotantem, ſi ſufficiat cum victûs ratione ad vigorem morbi, & utrum ille deficiet prius, & victu non ſufficiet, aut morbus prius deficiet ac obtundetur.

10 Quibus igitur ſtatim vigor eſt, ſtatim tenuiter alendi, quibus vero vigor ſerius, in illo (vigore ſcilicet) & antè illum paululum auferendum eſt. Ante verò (vigorem ſcilicet) uberius alendum, ut ſufficiat æger.

11 In paroxyſmis (ſeu exacerbationibus) *cibum* ſubſtrahere oportet; apponere enim noxium eſt. Et quæcumque per periodos (ſeu circuitus) exacerbantur. In exacerbationibus abſtinere oportet.
Sect. 1. Aph. 19.

12 Ex-

12 Exacerbationes autem & conſtituti
nes indicabunt morbi, & anni tempor
& periodorum ad invicem *collata* incr
menta, ſivè quotidiè, ſivè alterno die, ſi
etiam longiore fiant tempore. Cæterum
quæ *mox* apparent *eadem indicantur*, velu
in pleuriticis ſputum, ſi ſtatim appareat i
cipiente *morbo* breviat: ſi verò ſerius a
pareat producit. Et urina, & excremen
& ſudores, cum apparent, vel judica
faciles, vel difficiles, vel breves, vel lo
gos morbos *fore* indicant.

Sect. 4. Aph. 71. Sect. 5. Aph. 15

* 13 Senes facillimè jejunium ferunt;
cundò ætate conſiſtentes. Maximè ad
leſcentes. Omnium verò maxime pueri:
his verò ipſis, ſi contingat hos aliis a
criores eſſe.

14 Quæ creſcunt plurimum habent ca
di innati: plurimo igitur egent aliment
ſin minus, corpus conſumitur. Senib
autem modicus eſt calor, quapropter p
cis fomitibus indigent, ſub multis er
extinguitur. Propter hoc & febres ſenib
non ſimiliter acutæ: frigidum enim
corpus.

15 Ventres hyeme & vere naturâ cali
ſimi ſunt, & ſomni longiſſimi. In his
tur temporibus & alimenta plura dan
ſunt. Etenim innatum calorem habe
alimento ergò copioſiore indigent. S
num ſunt ætates & Athletæ.

Sect. 1. Aph. 18.

16 Hu

16 Humidi victus omnibus febricitantibus conferunt, maximè verò pueris, & aliis tali victu uti ſolitis.

17 Et quibus ſemel aut bis, & plura vel pauciora, & per partes *auferri conducat videndum eſt*. Concedendum eſt autem aliquid & conſuetudini, & tempeſtati, & regioni, & ætati.
Sect 2. *Aph.* 49. 50.

18 Æſtate & Autumno cibos difficillimè ferunt: hyeme facillimè, deindè vere.
Sect. 1. *Aph.* 15.

19 His qui per circuitus exacerbantur, nihil dare *oportet*, nequè cogere, ſed auferre de appoſitionibus antè criſes (ſivè judicationes).
Sect. 1. *Aph.* 11.

20 Quæ judicantur & judicata ſunt integrè, neque movere nequè innovare *licet*, ſivè purgantibus, ſivè aliis irritamentis, ſed ſinere.
Sect. 2. *Aph.* 29.

21 Quæ ducere oportet, quò maximè vergunt, eò ducenda ſunt, per convenientia loca.
Sect. 7. *Aph.* 61.

22 Concocta medicari & movere *oportet*, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant. Plurima verò non turgent.

Sect. 2. Aph. 29. Sect. 4. Aph. 10. 13. Sect. 5. Aph. 29. Sect. 7. Aph. 68.

23 Quæ prodeunt non copiâ ſunt æſtimanda, ſed ſi prodeant, qualia oportet, & facile ferat. Et ubi oportet uſque ad animi deliquium ducere, & hoc faciendum eſt, ſi ſufficiat æger.

Sect. 1. Aph. 2. 25.

24 In acutis affectionibus rarò, & in principiis purgantibus utendum, atque hoc diligenti cum præmeditatione faciendum eſt.

Sect. 1. A. 22. S. 2. A. 29. S. 4. A. 1. 10. S. 5. A. 29.

25 Si, qualia purgari oportet, purgentur, confert & facilè ferunt. Contraria verò difficulter.

S. 1. A. 2. 23. S. 4. A. 3.

HIPPO

16 Humidi victus omnibus febricitantibus conferunt, maximè veró pueris, & aliis tali victu uti ſolitis.

17 Et quibus ſemel aut bis, & plura vel pauciora, & per partes *oferri conducat videndum eſt*. Concedendum eſt autem aliquid & conſuetudini, & tempeſtati, & regioni, & ætati.
Sect. 2. *Aph.* 49. 50.

18 Æſtate & Autumno cibos difficillimè ferunt: hyeme facillimè, deinde vere.
Sect. 1. *Aph.* 15.

19 His qui per circuitus exacerbantur, nihil dare *oportet*, nequè cogere, ſed auferre de appoſitionibus ante criſes (ſivè judicationes).
Sect. 1. *Aph.* 11.

20 Quæ judicantur & judicata ſunt integrè, neque movere neque innovare *licet*, ſivè purgantibus, ſive aliis irritamentis, ſed ſinere.
Sect. 2. *Aph.* 29.

21 Quæ ducere oportet, quó maximè vergunt, eo ducenda ſunt, per convenientia loca.
S. 7. A. 61.

22 Concocta medicari & movere *oportet*, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant. Plurima veró non turgent.

S. 1. A. 24. S. 2. A. 10. 29. S. 4. A. 10. 13. S. 5. A. 29.

23 Quæ prodeunt non copiâ ſunt æſtimanda, ſed ſi prodeant, qualia oportet, & facilè ferat. Et ubi oportet uſque ad animi deliquium ducere, & hoc faciendum eſt, ſi ſufficiat æger.

S. 1. A. 2. 25. S. 4. A. 3.

24. In acutis affectionibus rarò, & in principiis purgantibus utendum, atque hoc diligenti cum præmeditatione faciendum eſt.

S. 1. A. 22. S. 2. A. 29. S. 4. A. 1. 10. S. 5. A. 29.

25 Si, qualia purgari oportet, purgentur, confert & facile ferunt. Contraria verò difficulter.

S. 1. A. 2. 23. S. 4. A. 3.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO SECUNDA

I.

In quo morbo ſomnus laborem facit, lethale : ſi verò ſomnus proſit, non eſt lethale. *S. 4. A. 67.*

2 Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum.

3 Somnus, vigilia, utraque ultra modum fientia, malum.
S. 7. A. 71.

4. Non ſatietas, non fames, neque aliud quidquam bonum eſt, quod plus eſt quàm pro natura.
S. 2. A. 22. 51.

5 Laſſitudines ſpontaneæ morbos denuntiant.
S. 4. A. 31.

6. Quicumque aliquâ corporis parte dolentes, maximâ ex parte dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat.

7 Multo tempore extenuata corpora lentè reficere oportet : brevi verò, breviter.
S. 2. A. 11. 18.

8 Si à morbo cibum quis capiens non roboretur, ſignificat corpus pleniore alimento uti: ſi verò cibum non capienti hoc contingat, ſcire oportet, quod evacuatione opus habeat.

S. 2. *A.* 22. 31. 32. S. 4. *A.* 41. 45.

9 Impura corpora, quó magis nutries, eó magis lædes.

S. 7. *A.* 65. 67.

10 Corpora, ubi quis purgare voluerit, oportet facilè fluentia facere.

S. 1. *A.* 22. 24. *S.* 4. *A.* 13. *S.* 7. *A.* 70.

11 Facilius eſt repleri potu, quàm cibo

12 Quæ relinquuntur in morbis poſt criſun (ſeu judicationem) recidivivas facere ſolent.

S. 2. *A.* 8. 27. *S.* 4. *A.* 36.

13 Quibus criſis fit his nox gravis eſt antè exacerbationem: ſubſequens veró tolerabilior plerumque.

14 In alvi fluxibus mutationes excrementorum juvant, niſi in prava mutentur.

S. 1. *A.* 2. *S.* 4. *A.* 21 23.

15 Ubi fauces ægrotant: aut tubercula in corpore naſcuntur, excretiones inſpicere oportet: ſi enim bilioſæ fuerint, corpus

pus unà ægrotat: ſi veró ſimiles ſanis ſiant, tutum eſt corpus nutrire.

S. 3. *A.* 26.

16 Ubi fames, non oportet laborare.

S. 2. *A.* 48. *S.* 7. *A.* 59.

17 Ubi cibus præter naturam copioſior ingreſſus fuerit, iſtud morbum facit. Oſtendit autem ſanatio.

S. 2 *A.* 22.

18. Confertim & celeriter nutrientium celeres etiam excretiones ſiunt.

S. 2. *A.* 7. 11.

19 Acutorum morborum non omninó tutæ ſunt prædictiones neque mortis, neque ſanitatis.

20 Quibus juvenibus exiſtentibus ventres humidi ſunt, iis ſeneſcentibus ſiccantur. Quibus veró juvenibus, exiſtentibus ventres ſicci ſunt; iis ſeneſcentibus humectantur.

S. 2. *A.* 53.

21. Famem vini potio ſolvit.

22 A repletione quicumque ſiunt morbi, evacuatio ſanat. Et quicumque ab evacuatione, repletio: & aliorum contrarietas *ſanat.*

S. 2. *A.* 8. 17. 48.

23 Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.

S. 2. A. 19.

24 Septimorum quartus eſt index. Alterius hebdomadæ octavus eſt principium. Conſiderandus veró eſt undecimus: is enim quartus eſt alterius hebdomadæ. Conſiderandus rurſum eſt decimus ſeptimus, hic enim eſt quartus quidem à decimo quarto, ſeptimus veró ab undecimo.

S. 4. A. 36. 61. 71.

25 Quartanæ æſtivæ plerumque fiunt breves: autumnales, vero longæ, & maximè quæ propè hyemem incidunt.

S. 3. A. 9. 21. 22.

26 Febrem ſpaſmo (ſive convulſioni) ſupervenire melius eſt, quàm convulſionem febri.

S. 4. A. 57. 66. 67. 68. S. 5. A. 5. 70. S. 7. A. 13.

27 His, quæ non ſecundùm rationem levant, non oportet credere, neque timere valdè quæ præter rationem prava fiunt. Multa enim horum ſunt inconſtantia, nec admodum permanere, neque durare ſolent.

S. 2. A. 28. 31.

28 Febricitantium non omninó leviter permanere, & nihil remittere corpus, aut etiam magis quàm pro ratione colli-

que

que fieri malum eſt. Illud enim morbi longitudinem indicat, hoc veró infirmitatem.
S. 2. *A.* 31.

29 Incipientibus morbis, ſi quid movendum videatur, move, vigentibus veró quieſcere melius eſt.
S. 1. *A.* 8. 20. 22. 24.

30 Circa principia & fines *morborum* omnia debiliora ſunt. Circa vigores veró vehementiora.
S. 2. *A.* 29.

31 Ab ægritudine benè comedenti, nihil proficere corpus, malum eſt.
S. 2. *A.* 8. 28.

32 Ut plurimum omnes malè habentes circa principia cibum quidem benè capientes, & nihil proficientes, ad finem rursùm cibos non appetunt. Circa initia veró cibum omninó non appetentes, poſteà veró cibum benè capientes, melius liberantur.
S. 2. *A.* 8. 31. *S.* 7. *A.* 6.

33 In omni morbo mente valere, & benè *ſe* habere ad ea quæ offeruntur, bonum eſt: contrarium veró, malum.

34 In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tempori magis ſimilis fuerit morbus, quàm *in* quibus horum nulli *fuerit* ſimilis.
S. 8. *A.* 1. 8.

35 In omnibus morbis, *partes* ad umbilicum & imum ventrem craſſitiem habere, melius eſt. Valdè autem tenues & eliquatas *habere*, malum. Periculoſum verò illud eſt, etiam ad infernas purgationes.

36 Sana habentes corpora, pharmacis purgati exſolvuntur cito, & qui pravo utuntur cibo.

S. 2. *A.* 37. *S.* 4. *A.* 16.

37 Qui benè habent corpore purgatu ſunt difficiles.

S. 2. *A.* 36. S. 4. *A.* 16.

38 Pauló deterior & potus & cibus, jucundior autem eligendus potius, quàm meliores quidem, ſed ingratiores.

39 Senes ut plurimùm quidem juvenibus ægrotant minùs. Quicumque verò morbi fiunt ipſis diuturni, plerumque commoriuntur.

S. 2. *A.* 40. S. 3. *A.* 31. S. 5. *A.* 7.

40. Raucedines & gravedines *in* valdè ſenibus non coquuntur.

41 Qui animo linquuntur ſæpe & fortiter abſquè manifeſta cauſa ex improviſo moriuntur.

42 Solvere Apoplexiam vehementem qui-

quidem impoſſibile: debilem veró non facilè.

43 Ex ſtrangulatis & reſolutis, nondum autem mortuis, non ſe recolligunt, quibus ſpuma circa os fuerit.
S. 2. A. 41.

44 Craſſi admodùm ſecundùm naturam magis ſubitó moriuntur, quàm graciles. S. 5. A. 46.

45 Epilepticis pueris liberationem mutationes maximè ætatis, & regionum, & vitarum faciunt.
S. 3. A. 28. S. 5. A. 7.

46 Duobus doloribus ſimul fientibus, non in eodem loco, vehementior alterum obſcurat.

47 Circa generationem puris dolores & febres magis accidunt, quàm *ipſo* facto.

48 In omni motu corporis, quando incipit dolere, interquieſcere ſtatim laſſitudinem curat.
S. 2. A. 22.

49 Conſueti ſolitos labores ferre, etiamſi fuerint debiles aut ſenes, inſuetis, *licet* robuſtis ac juvenibus, facilius ferunt.

50 A multo tempore conſueta, etiamſi deteriora fuerint, inſuetis minùs moleſta-

re ſolent. Oportet igitur etiam ad inſolita mutare.

S. 1. A. 17.

51 Multùm & derepentè evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigeſacere, aut aliter quocumque modo corpus movere, periculoſum eſt. Etenim omne multum naturæ contrarium eſt, quod veró paulatim *fit* tutum eſt: tum aliàs, tum ſi quis ex altero ad alterum tranſeat.

S. 2. A. 4. S. 4. A. 14. S 5. A. 16. 17. 18. 20. 22. 23. 24. S. 6. A. 27. 39.

52. Omnia ſecundùm rationem facienti & non ſecundùm rationem fientibus, non transeundum ad aliud, manente, quod viſum fuit ab initio.

S. 3. A. 1. S. 4. A. 9.

53. Quicumque ventres humidos habent, dum quidem juvenes ſunt, meliùs degunt (ſive liberantur) his, qui ſiccos habent. Ad ſenectutem verò pejùs degunt (ſive liberantur): ſiccantur enim ut pluſimùm ſeneſcentibus.

S. 2. A. 20.

54 Procero corpore juventutem quidem degere liberale eſt, nec deforme: inſeneſcere veró inconmodum, & parvis deterius.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO TERTIA

I.

MUtationes temporum *anni* maximè pariunt morbos : & in ipſis temporibus magnæ mutationes aut frigoris , aut caloris , & alia juxta rationem eodem modo.
Sect. 2. Aph. 51.

2 Naturarum aliæ quidem ad æſtatem , aliæ veró ad hyemem bene aut malè ſunt conſtitutæ.

3 Morborum alii ad alia *tempora* benè aut malè ſunt conſtituti : & ætates quædam ad tempora , & regiones , & diætas.
Sect. 8. Aph. 1.

4 In temporibus quando eâdem die , modò calor , modó frigus fit , autumnales morbos exſpectare oportet.
S. 3. A. 22.

5 Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi , caput gravantes , torpidi, diſſolventes. Cum hic prævaluerit , talia in morbis patiuntur. Si veró Aquilo fuerit , tuſſes, fauces *aſperæ* , alvi duræ , dyſuriæ (ſive urinæ difficultates,) horrores,dolores coſtarum, pectorum. Cum hic dominatus fuerit , talia in morbis expectare oportet.
S. 3. A. 17.

6 Cum æſtas ſit veri ſimilis, ſudores in febribus multos exſpectare oportet.

7 In ſiccitatibus febres acutæ fiunt. Et ſiquidem annus pro majori parte talis fuerit, qualem fecit conſtitutionem, ut plurimum etiam tales morbos exſpectare oportet. *Sect.* 3. *Aph.* 19.

8 In conſtantibus temporibus ſi tempeſtivè tempeſtiva reddantur, conſtantes & faciles judicatu morbi fiunt: in inconſtantibus autem, inconſtantes & difficiles judicatu.

9 In autumno morbi acutiſſimi & omnino mortiferi: ver autem ſaluberrimum & minimè lethale. S. 3. *A.* 22.

10 Autumnus tabidis malus.

11 De temporibus: ſiquidem hyems ſicca & Aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas, ophtalmias & dyſenterias fieri, maxime autem mulieribus, & viris naturâ humidioribus.

12 Si vero hyems auſtralis, & pluvioſa & clemens fiat, ver autem ſiccum & aquilonare, mulieres quidem, quibus partus in ver *incidit* ex omni occaſione abortiunt: quæ vero pepererint, infirmos & morboſos pariunt pueros; ita ut vel ſtatim pereant, aut tenues & morboſi vivant. Cæteris vero mortalibus dyſenteriæ & ophthalmiæ ſiccæ fiunt Senioribus veró catharri brevi interficientes.

Sect. 5. *Aph.* 45.

13 Si veró æſtas ſicca & aquilonaris fiat, autumnus autem pluvioſus & auſtralis, cephalalgiæ (ſivè dolores capitis) ad hyemem fiunt, & tuſſes, & raucedines, & coryzæ ſeu gravedines : quibuſdam veró etiam tabes.

14 Si veró aquilonaris & ſine pluviis *autumnus fuerit*, iis quidem qui natura ſunt humidi & mulieribus commodius erit: reliquis veró erunt ophtalmiæ ſiccæ, febres acutæ, & coryzæ diuturnæ : quibuſdam verò etiam melancoliæ.

15 Ex anni veró conſtitutionibus, in univerſum quidem ſiccitates pluvioſis ſunt ſalubriores & minús lethales.

16 Morbi autem, in pluvioſis quidem plerumque fiunt, & febres longæ, & alvi fluxus, & putredines, & epileptici, & apoplectici, & anginæ. In ſiccitatibus veró, tabidi, ophtalmiæ, Arthritides, ſtranguriæ, & dyſenteriæ.

17 Quotidianæ autem conſtitutiones, Aquilonares quidem corpora compingunt & tonica, & facilè mobilia, & benè colorata, & meliús audientia faciunt, & ventres exſiccant, & oculos mordent, & dolorem circa thoracem, ſi quis præexiſtat, majorem faciunt. Auſtrinæ veró corpora exſolvunt, & humectant, & auditus graves, & capitis gravitates faciunt, & vertigines in oculis, & corporibus diffi-

cilem motum, & ventres humectant.

S. 3. A. 4. S. 4. *A.* 33. S. 5. *A.* 16.

18 Secundúm tempora autem, Vere quidem & primâ Æſtate pueri, & his ætate proximi optimè degunt & maximè ſani ſunt. Æſtate & Autumno ad aliquam quidem partem, ſenes. Reliquo autem Autumno & hyeme qui medii ſunt ætate.

19 Morbi autem omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: nonnulli tamen magis in quibuſdam eorum fiunt & exacerbantur.

S. 3. *A.* 7. 17.

20 Nam vere quidem maniæ, & melancoliæ, & epilepſiæ, & ſanguinis effuſiones, & anginæ, & coryzæ, & raucedines, & tuſſes, & lepræ, & impetigines, & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

S. 6. A. 55.

21 Æſtate veró & horum nonnulli, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alvi fluxus, & ophtalmiæ, & aurium dolores, & oris exulcerationes, & pudendorum putredines, & ſudamina.

22 Autumno veró & ex æſtivis multi, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, & hydropes, & phthiſes, & ſtranguriæ,

&

& lienteriæ, & dyſenteriæ, & iſchiades, & anginæ, & aſthmata, iliaca paſſio, & epilepſiæ, & maniæ, & melancoliæ.

S. 3. A. 4. 10. S. 6. A. 55.

23 Hyeme veró pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, coryzæ, raucedines, tuſſes, dolores pectorum, pleuræ, & lumborum, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ.

S. 5. A. 24.

24 In ætatibus autem talia contingunt: parvis quidem ac recens natis pueris aphtæ, vomitus, tuſſes, vigiliæ, tumores umbilici inflammationes, aurium humiditates.

25 Ad dentitionem veró accedentibus gingivarum pruritus, febres, ſpaſmi, diarrhææ, & maximè ubi caninos dentes producunt, tum craſſiſſimis pueris, tum his qui duros ventres habent.

26 Senioribus autem factis, tonſillæ *inflammata*, vertebræ in occipitio introrſum luxationes, aſthmata, lithiaſes (ſeu calculorum generationes,) lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſilles ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula, maximè veró prædicta.

27 Adhuc veró ſenioribus, & ad pubertatem accedentibus, & multa ex illis, & febres diuturnæ magis, & ex naribus ſanguinis fluxiones.

S. 3. A. 26.

28 Plurimæ quidem affectiones pueris judicantur, aliæ in quadraginta diebus: aliæ in ſeptem menſibus: aliæ in ſeptem annis: quædam veró jam ad pubertatem, accedentibus. Quæ verò pueris permanſerint, neque ſolutæ fuerint circa pubertatem, aut fœminis circá menſtruorum eruptiones, perſeverare (ſeu diuturnæ fieri) ſolent.

S. 2. A. 45. S. 5. A. 7.

29 Juvenibus autem ſanguinis ſpuitiones, phthiſes, febres acutæ, & alii morbi, maximè veró ante dicti.

S. 5. A. 9. S. 8. A. 7.

30 Ultrà hanc ætatem verò *progreſſis* aſthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, febres ardentes, diarrhææ diuturnæ, choleræ, dyſenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides.

31 Senibus autem dyſpnææ, (ſeu ſpirandi difficultates) catharri tuſſiculoſi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, cachexiæ, pruritus totius corporis, vigiliæ, ventris, & oculorum & narium humiditates, viſûs hebetudines, glaucedines, auditûs gravitates.

S. 1. A. 14. S. 2. A. 39. 40. 53. S. 6. A. 6. 57.

QUARTA

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO QUARTA

I.

UTero gerentes ſunt medicandæ (ſeu purgandæ) ſi *materia* turgeat, quadrimeſtres & uſque ad ſeptimum menſem. Hæ veró minùs. Juniores autem & ſeniores fœtus vereri oportet.

Sect. 1. *Aph.* 22. 24. *Sect.* 5. *Aph.* 29. 31. 36.

2 In purgationibus talia è corpore ſunt ducenda, qualia etiam ſpontè prodeuntia utilia ſunt: contrariô autem modô prodeuntia ſiſtenda.

Sect. 1. *Aph.* 2. 25.

3 Siquidem qualia purgari oportet purgentur, confert, & facilè ferunt: contraria verô difficulter.

Sect. 1. *Aph.* 2. 23. 25.

4 Purgandum, æſtate quidem, magis ſuperiores *ventres*: hyeme veró inferiores.

Sect. 4. *Aph.* 6.

5 Sub cane & antè canem difficiles ſunt purgationes.

Sect. 2. *Aph.* 37.

6 Graciles, & facilè vomentes, ſursùm medicandi (ſeu purgandi,) vitantes hyemem. *Sect.* 4. *Aph.* 4.

7 Difficulter autem vomentes, & mediocriter carnoſi, deorsùm, vitantes æſtatem. *Sect.* 4. *Aph.* 4.

8 Phthiſici autem, vitantes purgationes ſuperiores. *Sect.* 5. *Aph.* 12. 14.

9 Melancolicos autem largiùs deorsùm purgabis. Eâdem ratione, contraria adhibens. *Sect.* 2. *Aph.* 52. *Sect.* 6. *Aph.* 23. *Sect* 7. *Aph.* 40.

10 Purgandum in valdè acutis, ſi turgeat, eâdem die: morari enim in talibus, malum eſt. S. 1. A. 22. S. 2. A. 29. S. 4. A. 1. 8.

11 Quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui nequè purgante, nequè aliter ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur. *Sect.* 4. *Aph.* 20. 73.

12 Quibus alvi ſunt lientericæ, illos hyeme ſursùm purgare, malum eſt.

13 Ad helleboros, qui non facilè ſursùm purgantur, *iis* antè potionem corpora humectanda copioſiore alimento, & quiete. *Sect.* 1. A. 22. S. 2. A. 9. S. 7. A. 70.

14 Ubi biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum, magis ducit. Ad ſomnos veró, & quietem, minùs. Declarat autem & navigatio, quod motus turbat corpora.

Sect. 4. *Aph.* 13. 15.

15 Ubi vis magis ducere helleborum, moveto corpus. Quandó veró ceſſare ſomnum facito, & non moveto.

16 Helleborus periculoſus eſt ſanas carnes habentibus: ſpaſmum enim inducit.
S. 2. A. 36. 37. S. 5. A. 1. 4. S. 7. A. 25.

17 Non febricitanti, cibi faſtidium, & cardiogmos (ſive oris ventriculi morſus,) & tenebricoſa vertigo, & os amareſcens, ſursùm purgante opus eſſe indicat.

18 Super ſeptum tranſverſum dolores, qui purgatione opus habent, ſurſum purgante opus eſſe ſignificant. Quæ veró infra, deorsùm.

19 Qui in purgantium potionibus non ſitiunt, dum purgantur, non ceſſant antequàm ſitierint.

20 Non febricitantibus ſi fiat tormen, & genuum gravitas, & lumborum dolor, deorsùm purgante opus habere ſignificat.

21 Dejectiones *alvi* nigræ, qualis ſanguis niger, ſuâ ſponte prodeuntes, & cum fe-

febre, & ſine febre, peſſimæ ſunt. Et quantó colores dejectionum plures fuerint pejores, eò deterius: cum purgante veró melius. Et quantò colores plures *fuerint*, non mali.

Sect. 4. Aph. 23.

22 Morbis quibuſcumque incipientibus, ſi bilis atra vel ſursúm, vel deorsùm prodierit lethale.

23 Quibuſcumque, ex morbis acutis aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocumque modó extenuatis, bilis atra, vel velut ſanguis niger prodierit, poſtridiè moriuntur.

Sect. 4. Aph. 21.

24 Dyſenteria ſi ab atra bile incœperit lethale.

Sect. 5. Aph. 32. 33. Sect. 7. Aph. 23.

25 Sanguis ſursùm *emiſſus*, qualiſcumque ſit, malum. Deorsùm veró bonum, niger ſubtus ſecedens.

Sect. 7. Aph. 37.

26 Si à dyſenteria detento veluti caruncula ſeceſſerint, lethale eſt.

Sect. 4. Aph. 76.

27 Quibus in febribus ſanguinis copia undecumque eruperit, in refectionibus his alvi humectantur.

28 Quibus bilioſæ ſunt egeſtiones (ſeu dejectiones) ſurditate ſuperveniente ceſſant. Et quibus ſurditas; bilioſis ſupervenientibus, ceſſat.

Sect. 4. *Aph.* 60.

29 Quibus per febres ſextâ die rigores fiunt, difficulter judicantur.

S. 4. A. 58. 63.

30 Quibus paroxyſmi fiunt, quâcumque horâ dimiſerit febris, poſtridiè eâdem horâ ſi corripuerit, difficulter judicantur.

31 Laſſatis per febres ad articulos, & circa maxillas maximè abſceſſus fiunt.

Sect. 4. *Aph.* 74.

32 Quibus veró ex morbo reſurgentibus aliquid dolet, ibi apoſtaſes (ſive abſceſſus) fiunt.

S. 4. A. 45.

33 Sed hæc, ſi quid doluerit ante morbum, ibi ſe figit morbus.

34 Si à febre detento, œdemate (ſeu tumore) non exiſtente in faucibus, ſuffocatio ex improviſo superveniat, lethale.

Sect. 4. *Aph.* 35. *S.* 7. A. 58.

35 Si à febre detento, collum derepente inverſum fuerit, & vix deglutire poſſit, tumore non exiſtente, lethale.

Sect. 4. *Aph.* 34. *S.* 7. A. 58.

36 Sudores febricitantibus ſi incœperint, boni

boni ſunt tertiâ die, & quintâ, & ſeptimâ, & nonâ, & undecimâ, & decimâ quartâ, & decimâ ſeptimâ, & vigeſimâ primâ, & vigeſimâ ſeptimâ, trigeſimâ primâ, & trigeſimâ quartâ. Hi enim ſudores morbos judicant, qui veró itá non fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidivas.

S. 2. A. 24. S. 4. A. 61. 64. S. 8. A. 4.

37 Frigidi ſudores cum acutâ quidem febre fientes, mortem: cum mitiore veró, morbi longitudinem ſignificat.

Sect. 4. *Aph.* 42. 56.

38 Et ubi in corpore ſudor *eſt*, illic morbum *eſſe* ſignificat.

39 Et ubi in corpore eſt calor aut frigus, ibi morbus.

40 Et ubi in toto corpore mutationes, & ſi corpus perfrigeretur, aut rurſus calefiat, aut calor alius ex alio fiat, longitudinem morbi ſignificat.

Sect. 7. *Aph.* 60.

41 Sudor multus ex ſomno ſine cauſa manifeſta factus, corpus uberiore alimento uti ſignificat: ſi veró cibum non aſſumenti hoc fiat, ſignificat quod evacuatione indigeat.

Sect. 2. *Aph.* 8. *Sect.* 7. *Aph.* 61.

42 Sudor multus frigidus, aut calidus, ſemper

ſemper fluens. Frigidus quidem majorem, calidus verò minorem morbum ſignificat.
Sect. 7. *Aph.* 61.

43 Febres, quæcumque non intermittentes tertiâ die vehementiores fiunt, magis periculoſæ: quo quo modo autem intermittant, quod ſine periculo ſint, ſignificat.
S. 4. A. 38. S. 7. A. 62. S. 8. A. 37.

44 Quibus febres longæ, hiſce tubercula ad articulos, aut dolores fiunt.
Sect. 7. *Aph.* 63. 64.

45 Quibus tubercula ad articulos, aut dolores ex febribus longis fiunt, hi plurimis utuntur cibis.
Sect. 4. *Aph.* 32. *Sect.* 7. *Aph.* 64.

46 Si rigor incidat febri non intermittenti, debili jam exiſtente *ægro*, lethale.
Sect. 4. *Aph.* 58. *Sect.* 6. *Aph.* 26.

47 Exſcreationes in febribus non intermittentibus lividæ, & cruentæ & graveolentes, & bilioſæ, omnes malæ: At probè ſecedentes, bonæ. Et *eadem ratio eſt* quòad *alvi* egeſtiones & quòad urinas. Si veró nihil ex conducentibus excernatur per hæc loca, malum.
Sect. 1. *Aph.* 25. *Sect.* 7. *Aph.* 69.

48 In febribus non intermittentibus, ſi externa quidem frigida ſint, interna verò urantur, & ſitim habeant, lethale.
Sect. 7. *Aph.* 1. 26. 72.

49 In febre non intermittente, ſi la-bium, aut palpebra, aut oculus, aut na-ſus pervertatur (ſeu diſtorqueatur,) ſi non videat, ſi non audiat, corpore jam debili exiſtente; quidquid horum fiat in pro-pinquo mors eſt.

Sect. 7. *Aph.* 73.

50 Ubi in febre non intermittente dyſ-pnæa (ſive difficultas ſpirandi) fit, & de-lirium, lethale.

Sect. 4. *Aph.* 68.

51 In febribus abſceſſus, qui non ſol-vuntur (vel qui non ſolvunt) ad primas judicationes, longitudinem morbi ſigni-ficant.

52 Quicumque in febribus, aut aliis in-firmitatibus, ex propoſito, (ſive ob cau-ſam manifeſtam) lacrymantur, nihil in-conveniens. Qui veró non ex propoſito, inconvenientius.

Sect. 8. *Aph.* 2.

53 Quibus circa dentes in febribus viſ-coſa adhærent, *iis* febres fiunt vehemen-tiores.

54 Quibus diu tuſſes ſiccæ, parum ir-ritantes in febribus ardentibus, non ad-modum ſiticuloſi ſunt.

55 In bubonibus febres, omnes malæ præter ephemeras.

55

56 Febricitanti ſudor ſuperveniens febre non remittente, malum: prolongatur enim morbus, & copioſiorem humiditatem ſignificat. S. 4. A. 42.

57 A ſpaſmo, aut tetano vexato febris ſuperveniens ſolvit morbum.

Sect. 2. *Aph.* 26. S. 5. A. 5. 70.

58 A febre ardente detento rigore ſuperveniente, ſolutio fit.

Sect. 4. *Aph.* 63. *Sect.* 6. *Aph.* 26.

59 Tertiana exquiſita in ſeptem periodis (ſive circuitibus) ad ſummum judicatur.

60 Quibus in febribus aures obſurduerint, *iis* ſanguis è naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum ſolvit.

Sect. 4. *Aph.* 28.

61 Febricitanti niſi in diebus imparibus dimiſerit febris, reverti ſolet.

62 Quibus in febribus icterus supervenit antè ſeptimum diem, malum eſt, niſi confluxus humorum per alvum fiant.

Sect. 4. *Aph.* 64.

63 Quibus in febribus quotidiè rigores fiunt, quotidiè febres ſolvuntur.

S. 4. A. 29. 46. 58.

64 Quibus in febribus ſeptimâ, aut nonâ, aut undecimâ, aut quartâ decimâ icterus ſupervenit, bonum eſt, niſi dextrum hypochondrium durum ſit; alioquin non bonum.

Sect. 4. *Aph.* 62. *Sect.* 6. *Aph.* 42.

65 In febribus circa ventrem æſtus vehemens, & cardiogmos (ſive oris ventriculi dolor,) malum.

66 In febribus acutis, cum ſpaſmi & circa viſcera dolores vehementes, malum.

Sect. 2. Aph. 26.

67 In febribus ex ſomnis pavores, aut ſpaſmi, malum.

Sect. 2. Aph. 1.

68 In febribus ſpiritum offendens, malum. Spaſmum enim ſignificat.

Sect. 4. Aph. 50.

69 Quibus urinæ craſſæ grumoſæ, paucæ, non ſine febræ, copia ex his ſuccedens tenuis juvat. Tales autem maximè prodeunt, quibus ab initio, aut brevi hypoſtaſim (ſive ſedimentum) habent.

70 Quibus autem in febribus urinæ conturbatæ, quales jumentorum, his cephalalgiæ aut adſunt aut aderunt.

71 Quibus *morbi* ſeptimâ *die* judicantur, iis nubeculam rubram urina *die* quartâ continet, & alia ſecundum rationem.

72 Quibus urinæ pellucidæ, albæ, malæ: maximè veró in phreniticis apparent.

73 Quibus hypochondria elevata murmurant, lumborum dolore ſuperveniente, iis alvi humectantur, niſi flatus eruperint, aut urinæ copia prodierit. In febribus autem hæc.

74. Quibus ſpes eſt ad articulos fore apoſtaſim (ſeu abſceſſum,) *eos* ab apoſtaſi liberat urina multa, & craſſa, & alba facta, qualis in febribus laborioſis (ſive cum laſſi-

laſſitudine,)quartâ die quibuſdam fieri incipit. Si verò etiam ex naribus ſanguis eruperit, brevi admodùm ſolvit.

75 Si *quis* ſanguinem aut pus mingat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat.
Sect. 4. Aph. 81.

76 Quibus in urina craſſa exiſtente, carunculæ parvæ veluti pili ſimul exeunt, his de renibus excernuntur.
Sect. 4. Aph. 26.

77 Quibus in urina craſſa exiſtente, furfuracea ſimul minguntur, his veſica ſcabie laborat.

78. Qui ſpontè ſanguinem meiunt, iis à renibus venæ ruptionem ſignificat.
Sect. 4. Aph. 75.

79 Quibus in urina arenoſa ſubſident, illis veſica calculo laborat.

80 Si *quis* ſanguinem mingat, & grumos, & ſtraguriam habeat, & dolor incidat ad hypogaſtrium & perinæum, partes circa veſicam laborant.
Sect. 7. Aph. 39.

81 Si quis ſanguinem & pus mingat, & ſquammas, & odor gravis ſit, veſicæ exulcerationem ſignificat.
Sect. 4. Aph. 75.

82 Quibus in urethera tuberculum naſcitur, his, ſuppurato *eo* & perrupto, ſolutio.
Sect. 7. Aph. 57.

83 Mictio noctu multa facta, paucam dejectionem ſignificat.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO QUINTA.

I.

SPaſmus ex elleboro, lethale.
S. 4. A. 16. S. 5. A. 4. S. 7. A. 25.

2. Vulneri convulſio ſuperveniens, lethale.

3 Sanguine multo effuſo, ſpaſmus, aut ſingultus ſuperveniens, malum.
S. 5. A. 56. *Sect. 7. Aph. 9.*

4 Hypercatharſi (ſive immodicæ purgationi) ſpaſmus, aut ſingultus ſuperveniens, malum.
Sect. 5. Aph. 1. S. 7. A. 25. 41.

5 Si quis ebrius derepente mutus fiat, convulſus moritur, niſi febris corripuerit, aut ubi ad horam, quâ crapulæ ſolvuntur, pervenit, locutus fuerit.
Sect. 7. Aph. 7.

6 Qui à tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, ſi verò hos effugerint, ſani fiunt.

7. Quibus

7 Quibus epilepſiæ antè pubertatem fiunt, mutationem habent. Quibus verò fiunt viginti quinque annis *natis*, hi plerumque commoriuntur.

Sect. 2. Aph. 45.

8 Qui pleuritici facti, non repurgantur supernè in quatuordecim diebus, his in empyema convertitur.

Sect. 5. Aph. 15.

9 Phthiſis maximè fit ætatibus, ab anno decimo octavo uſque ab trigeſimum quintum.

Sect. 3. Aph. 29. S. 8. A. 7.

10 Quibus anginam effugientibus ad pulmonem vertitur, in ſeptem diebus moriuntur. Si verò hos effugerint, empyici fiunt.

Sect. 6. Aph. 25. 37. S. 7. A. 49.

11 A phthiſi infeſtatis, ſi ſputum quod extuſſiunt, graveoleat prunis ſuperfuſum, & capilli de capite defluant, lethale

Sect. 5. Aph. 12. 14. S. 7. A. 16.

12 Quibus phthiſicis capilli de capite defluunt, hi diarrhæâ ſuperveniente, moriuntur.

Sect. 5. Aph. 14. Sect. 6. Aph. 16. Sect. 7. Aph. 78.

13 Qui ſanguinem ſpumantem exſpuunt, his ex pulmone rejectio fit.

14 A phthiſi detento diarrhæa ſuperveniens, lethale.

S. 5. *A.* 12. *S.* 6. *A.* 16. *S.* 7. *A.* 78.

15 Qui ex pleuritide empyici fiunt, ſi intra quadraginta dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur ſupernè, liberantur: ſi verò minùs, ad phthiſim tranſeunt.

Sect. 5. *Aph.* 8.

16 Calidum, eo frequenter utentibus, has adfert noxas: carnis effœminationem, nervorum impotentiam, mentis ſtuporem, hæmorrhargias, leipotymias. Hæc, quibus mors.

17 Frigidum autem ſpaſmos, tetanos, nigrores, & rigores febriles.

Sect. 5. *Aph.* 18, 20. 24.

18 Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ: calidum verò utile.

19 Quæ perfrigerata ſunt excalefacere oportet, præterquàm quæ ſanguinem effundunt, aut effuſura ſunt.

Sect. 5. *Aph.* 23.

20 Ulceribus quidem frigidum mordax cutem obdurat, dolorem non ſuppurantem facit, nigrores, rigores febriles, ſpaſmos, & tetanos.

21 Eſt verò, ubi in tetano ſine ulcere,

juveni

juveni benè carnoſo æſtate medià frigidæ multæ affuſio revocationem caloris facit. Calor verò hæc ſolvit.

Sect. 5. Aph. 25. S. 7. A. 42.

22 Calidum ſuppuratorium, non in omni ulcere, maximum ſignum ad ſecuritatem. Cutem emollit, extenuat, dolores ſedat, rigores, ſpaſmos, tetanos mitigat: in capite verò gravitatem ſolvit: plurimùm autem confert oſſium fracturis, maximè veró denudatis, ex his quidem maximè qui in capite ulcera habent, & quæ à frigore moriuntur aut ulcerantur, & herpetibus exedentibus, ſedi, pudendo, & utero, veſicæ. His calidum quidem amicum & decretorium, frigidum inimicum, & interimens.

23 In his autem frigido uti oportet, undè ſanguis erumpit aut erupturus eſt: non ſuper ipſa, ſed circa ipſa undè influit: & quæcumque inflammationes, aut flammei ardores ad rubrum & ſanguineum colorem vergentes novo ſanguine, ſuper ipſos: nam inveteratos nigrefacit: eryſipelas etiam non exulceratum juvat, quoniam exulceratum lædit.

Sect. 5. Aph. 19.

24 Frigida, veluti nix, glacies, pectori inimica *ſunt*, tuſſes movent, hæmorrhagias, & catharros inducunt.

Sect. 3. Aph. 23.

25 In articulis autem œdemata (ſive tumores,) & dolores abſque ulcere, & podagricos, & ſpaſmos, horum plurima, frigida multa affuſa & levat, & extenuat, & dolorem ſolvit. Torpor enim modicus doloris ſolvendi vim habet.

Sect. 5. *Aph.* 21.

26 Aqua, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leviſſima.

27 Quibus autem bibendi appetentia noctu, iis valdè ſitientibus, ſi obdormierint, bonum eſt.

28 Muliebria ducit aroratum ſuffitus. Sæpius verò etiam ad alia utilis eſſet, niſi capitis gravitates induceret.

29 Prægnantes medicandæ (ſeu purgandæ) ſi *materia* turgeat, quadrimeſtres & uſque ad ſeptimum menſem: hæ verò minùs. Juniores autem & ſeniores fœtus vereri oportet.

Sect. 1. A. 22. 24. S. 4. *A.* 1. *Sect.* 5. *Aph.* 31. 36.

30 Mulierem in utero gerentem ab aliquo acuto morbo corripi, lethale.

Sect. 5. *Aph.* 43.

31. Mulier in utero gerens ſectâ venâ abortit: & magis ſi fœtus grandior fuerit.

32 Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit.

33 Mulieri catameniis (ſeu menſtruis) deficientibus, ſanguinem è naribus fluere, bonum.

34 Mulieri in utero gerenti ſi alvus multum fluxerit, periculum, ne abortiat.
Sect. 7. Aph. 72.

35 Mulieri ab hyſterica *paſſione* vexatæ, aut difficulter parienti, ſternutatio ſuperveniens, bonum.
Sect. 5. Aph. 49.

36 Mulieri menſes decolores, neque ſecundùm eadem (*tempus & modum:*) ſemper prodeuntes, Catharſi (ſive purgatione) opus eſſe ſignificat.

37 Mulieri in utero gerenti ſi mammæ derepentè graciles fiant, abortit.
Sect. 5. Aph. 38. 53.

38 Mulieri in utero gerenti, ſi altera mamma gracilis fiat gemellos geſtanti, alterutrum abortit. Et ſiquidem dextra gracilis fiat, marem: ſi verò ſiniſtra fœminam.
Sect. 5. Aph. 37. 53.

39 Si mulier, quæ nec prægnans, nec puerpera eſt, lac habet, ei menſtrua defecerunt.

40 Mulieribus, quibus in mammas ſanguis convertitur, maniam (ſeu furorem) ſignificat.

41 Mu-

41 Mulierem ſi velis cognoſcere an conceperit, ubi dormitura eſt, aquam mulſam bibendam dato. Et ſiquidem tormen habeat circa ventrem, concepit: ſi verò non, non concepit.

Sect. 5. Aph. 59. 61.

42 Mulier prægnans ſi quidem marem geſtat benè colorata eſt, ſi verò fœminam decolor.

43 Si mulieri prægnanti eryſipelas in utero fiat, lethale.

Sect 5. Aph. 30.

44 Quæcumque præter naturam tenu exiſtentes in utero gerunt, abortiunt priu quàm (ſive donec) craſſeſcant.

Sect 5. Aph. 55.

45 Quæcumque verò mediocriter corp habentes abortiunt bimeſtres & trimeſtr ſinè cauſa manifeſta, his cotylidones (ſi acetabula uteri) muco plenæ ſunt, & ne poſſunt præ pondere continere fœtum, ſ abrumpuntur.

46 Quæcumque præter naturam craſ exiſtentes non concipiunt in utero, h omentum os uteri comprimit, & pri quàm extenuentur, non concipiunt.

Sect. 5. Aph. 62.

47 Si uterus iſchio (ſive coxæ) incum bens, ſuppuratus fuerit, neceſſe eſt med camenta in linteo carpto applicari.

48 Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ vero in ſiniſtris magis.
Sect. 5. Aph. 38.

49 Ut ſecundinæ excidant, ſternutatoriô inditô, nares & os apprehendere oportet. *Sect. 5. Aph. 35.*

50 Mulieri menſtrua ſi velis cohibere, cucurbitam quam maximam ad mammas appone.

51 Quæcumque in utero gerunt, harum os uteri clauſum eſt. S. 5. A. 54.

52 Si mulieri in utero gerenti multum lactis ex mammis flexerit, infirmum fœtum ſignificat. Si veró ſolidæ fuerint ſaniorem fœtum ſignificat.
S. 5. A. 37. 38.

53 Quæ perdituræ ſunt fœtus, his mammæ graciles fiunt. Si verò rurſus duræ fiant, dolor erit aut in mammis aut in coxis, aut in oculis, in genibus, & non perdunt.
Sect. 5. Aph. 37. 38.

54 Quibus os uteri durum eſt, his neceſſe eſt, os uteri clauſum eſſe.
S. 5 A. 51.

55 Quæcumque in utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter attenuantur abſque manifeſta cauſa (ſive occaſione, pariunt difficulter & periculosè, aut abortientes periclitantur.
S. 5. A. 30. 44.

56 Si fluxui muliebri ſpaſmus & lypothimia ſuperveniat, malum.

Sect. 5. *Aph.* 3. *S.* 7. *A.* 9.

57 Menſtruis fientibus copioſioribus morbi contingunt: & non fientibus, ab utero fiunt morbi.

58 Recto inteſtino inflammato, & utero inflammato, & renibus ſuppuratis ſtranguria ſupervenit. Hepati autem inflammato ſingultus ſupervenit.

Sect. 7. *Aph.* 17.

59 Mulier ſi in ventre non concipiat, velis autem ſcire, an conceptura ſit, veſtimentis circumtectam ſubter ſuffito: & ſiquidem procedere tibi videatur odor per corpus ad nares, & ad os, ſcito hanc non propter ſeipſam infœcundam eſſe.

Sect. 5. *Aph.* 41. 61.

60 Si mulieri utero gerenti purgationes prodeant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum.

61 Si mulieri purgationes non prodeant neque horrore, neque febre ſupervenient, cibi autem faſtidia ipſi accidant, exiſtimato hanc in utero gerere.

Sect. 5. *Aph.* 41 59.

62 Quæcumque frigidas ac denſas matrices (ſive uteros) habent, non concipiunt. Et quæcumque prahumidas habent matrices, non concipiunt: extinguitur enim

enim ipſis genitura. Et quæcumque ſiccas magis & adurentes: inopiâ enim alimenti corrumpitur ſemen. Quæcumque veró ex utriſque temperiem habent moderatam, eæ ipſæ proliferæ fiunt.

63 Similiter autem etiam in maſculis, aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur ut non emittat ſemen. Aut propter denſitatem humidum non procedit foras. Aut propter frigiditatem non incaleſcit, ut ad hunc locum non congregetur. Aut propter caliditatem hoc idem fit.

64 Lac dare capite dolentibus malum. Malum verò etiam febricitantibus, & quibus hypochondria elevata ſunt murmurantia, & ſiticuloſis. Malum autem & quibus dejectiones bilioſæ, & qui in acutis ſunt febribus. Et quibus multi ſanguinis facta eſt egeſtio. Convenit verò phthiſicis non admodúm valdè febricitantibus lac dare, & in febribus longis, & languidis nullo ex prædictis ſignis, præſente: & præter rationem extenuatis.

65 Quibus œdemata (ſive tumores) in ulceribus apparent, non valdè convelluntur neque inſaniunt. His autem diſparentibus derepentè, quibus in poſtica quidem parte *fuerint* ſpaſmi, tetani: quibus veró in antica maniæ, aut dolores lateris acuti, aut empyema, aut dyſenteria, ſi rubicundi fuerint tumores.

66 Si vulneribus fortibus & pravis exiſtentibus, œdemata non apparent, ingens malum.

67 *Tumores* laxi (ſeu molles,) boni, crudi veró mali.

68 Poſticâ capitis parte dolenti, recta in fronte vena ſecta juvat.

69 Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum ad caput. Viris autem magis poſticâ quàm anticâ parte corporis, veluti ex cubitis ac femoribus. Sed & cutis *viris* rara eſt. Significat autem id pilus.

70 A quartanis correpti, á ſpaſmo non admodùm corripiuntur. Si veró corripiantur prius, & poſteà quartana ſupervenerit, liberantur.

S. 2. A. 26. S. 4. A. 57. S. 5. A. 5.

71 Quibus cutis obtenditur arida & dura, ſine ſudore moriuntur. Quibus veró laxa ac rara cum ſudore moriuntur.

72 Icterici non admodum flatulenti ſunt.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO SEXTA.

I.

IN diuturnis lienteriis (ſive inteſtinorum lævitatibus) ructus acidus non factus Prius, ſignum bonum.

2 Quibus nares humidiores naturâ, & genitura humidior, imperfectius valent: quibus verò contraria, perfectius.

3 In longis dyſenteriis appetitus proſtratus, malum. Et cum febre pejus.

4 Circum glabra ulcera, maligna.

5 Dolores & in pleuris (ſeu lateribus,) & in pectoribus, & in aliis partibus ſi multum differant, conſiderandum.

6 Nephritici & qui circà veſicam *exiſtunt* dolores, difficulter ſanantur in ſenibus.

Sect. 3. Aph. 31.

7 Dolores circa ventrem fientes ſublimes quidem leviores: non ſublimes veró vehementiores.

8 Hydropicis facta in corpore ulcera, non facilè ſanantur.

9 Lata exanthemata non admodùm pruriginoſa.

10 Caput laboranti, & circumcircà dolenti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, ſolvit morbum.

11 Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes, bonum.
S. 6. A. 21.

12 Hæmorrhoidas ſananti diuturnas, niſi una ſervata fuerit, periculum eſt ne hydrops ſuperveniat, aut phthiſis.

13 A ſingultu detento ſternutationes ſupervenientes ſolvunt ſingultum.

14 Ab hydrope detento, ſecundùm venas in ventrem aquâ fluente, ſolutio.
Sect. 7. A. 29.

15 A diarrhæa detento diuturnâ ſpontè vomitus ſuperveniens, ſolvit diarrhæam.
S. 1. A. 2.

16 A pleuritide aut à peripneumonia detento, diarrhæa ſuperveniens malum.
S. 5. A. 14.

17 Opthalmiâ laborantem à diarrhæa corripi, bonum.

18 Cui perſecta eſt veſica, aut cerebrum, aut cor, aut diaphragma, aut aliquod ex inteſtinis tenuibus, aut ventriculus, aut hepar, lethale. S. 6. A. 24.

19 Ubi diſſectum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ pars tenuis, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit. S. 7. A. 28.

20 Si in ventrem ſanguis effuſus fuerit præter naturam, neceſſe eſt ſuppurari. S. 7. A. 38.

21 Maniacis, ſi varices, aut hæmorrhoides ſupervenerint, maniæ ſolutio. S. 6. A. 11.

22 Quæ ruptiones (ſive dolores) ex dorſo ad cubitos deſcendunt, venæ ſectio ſolvit.

23 Si metus & triſtitia multo tempore perſeverent, melancholicum hoc ipſum.

24 Si ex inteſtinis tenuibus aliquod diſſectum fuerit, non coaleſcit. S. 6. A. 18.

25. Eryſipelas foris quidem intrò verti, non bonum: intus veró foras, bonum. S. 6. A. 37. S. 7. A. 49.

26 Quibus in febre ardente tremores fiunt, mentis emotio (ſeu delirium) ſolvit.

27 Qui empyici, aut hydropici uruntur, aut ſecantur, pure aut aquâ effluente: acervatim, omninò moriuntur.
S. 7. A. 44.

28 Eunuchi non laborant podagrâ, neque calvi fiunt.

29 Mulier non laborat podagrâ, niſi menſes ipſi defecerint.

30 Puer non laborat podagrâ ante veneris uſum.

31 Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut purgatio, ſolvit.
S. 7. A. 46.

32 Balbi à diarrhæa maximè corripiuntur longâ.

33 Acidum ructantes non admodùm pleuritici fiunt.

34 Qui calvi *ſunt*, his varices magni non fiunt. Quibus verò calvis exiſtentibus varices ſuperveniunt, hi rurſus capillati fiunt.

35 Hydropicis tuſſis ſuperveniens malum. S. 7. A. 47.

36 Dyſuriam venæ ſectio ſolvit: ſecandæ verò ſunt internæ.
S. 7. A. 48.

37 Ab angina detento tumorem fieri in collo, bonum: foras enim vertitur morbus. S. 5. A 10. S. 6. A. 25. S. 7. A. 49.

38 Quibus occulti cancri fiunt, non curare melius; curati enim pereunt citò: non curati veró longiore tempore perdurant.

39 Spaſmus fit vel à repletione vel evacuatione:ità veró & ſingultus.
S. 1. A. 3. S. 5. A. 4. S. 7. A. 25. 41.

40 Quibus ad hypochondrium dolores fiunt ſine phlegmone (ſive inflammatione) his febris ſuperveniens, ſolvit dolorem.
S. 7. A. 52.

41 Quibus ſuppuratum quid exiſtens in corpore, nullum ſui ſignum prodit, his propter craſſitudinem puris, aut loci, non ſe prodit.

42 In ićtericis hepar durum fieri, malum.
S. 4. A. 64.

43 Qui lienoſi à dyſenteria corripiuntur, his longâ ſuperveniente dyſenteriâ, hydrops ſupervenit, aut lienteria, & intereunt.
S. 6. A. 48. S. 7. A. 76.

44 Quibus ex ſtranguria iliaca paſſio ſupervenit, in ſeptem diebus intereunt, niſi febre ſuperveniente, abundè urina fluxerit.

45 Ul-

45 Ulcera quæcumque annua fiunt, aut longiore tempore durant, neceſſe eſt os abſcedere, & cicatrices cavas fieri.

46 Quicumque gibboſi ex aſthmate, aut tuſſi fiunt, antè pubertatem intereunt.

47 Quibus phlebotomia, aut purgatio confert, his convenit, vere venam ſecare, aut purgare.

Sect. 7. *Aph.* 53.

48 Lienoſis dyſenteria ſuperveniens, bonum.

S. 6. *A.* 43. S. 7. *A.* 76.

49 Qui podagrici morbi fiunt, hi ſedatâ inflammatione, in quadraginta diebus decedunt.

50 Quibus cerebrum diſſectum fuerit, his neceſſe eſt febrem, & bilis vomitum ſupervenire.

Sect. 6. *Aph.* 18.

51 Quibus ſanis dolores fiunt derepentè in capite & protinùs muti fiunt, ac ſtertunt, intereunt in ſeptem diebus, niſi febris *eos* apprehenderit.

52 Conſiderare veró etiam oportet oculorum ſubtùs apparentia in ſomnis: ſi enim albi quid, palpebris commiſſis, ſubtùs appareat, cui *id* non ex diarrhæa eſt, aut ex potione purgante, pravum ſignum & valde lethale.

53 Deliria, cum riſu quidem fientia, tutiora: cum ſtudio veró, periculoſiora.

54 In acutis affectionibus, cum febre luctuoſæ reſpirationes, malæ.
S. 4. A. 50. 68.

55 Podagrici *dolores* vere, & autumno moventur plerumque.
S. 3. A. 20.

56 Morbis melancholicis ad hæc periculoſi ſunt *humorum* decubitus, vel apoplexiam corporis, vel ſpaſmum, vel maniam, vel cæcitatem ſignificant.

57 Apoplectici autem maximè fiunt, ætate ab anno quadrageſimo uſque ad ſexageſimum.
S. 3. A. 31.

58 Si Epiploon (ſive omentum) exciderit, neceſſe eſt putrefieri.

59 Quibus à diuturno iſchiade vexatis iſchion excidit & rurſus incidit, his mucus innaſcitur.
S. 6. A. 60.

60 Quibus à diuturno iſchiade vexatis iſchion excidit, his tabeſcit crus, & claudicant, niſi uſti fuerint.
Sect. 6. Aph. 59.

HIPPOCRATIS

APHORISMORUM

SECTIO SEPTIMA.

I.

IN acutis morbis frigus extremarum partium, malum.
S. 4. A. 48, S. 7. A. 26. 72,

2. Ex oſſe ægrotante caro livida, malum.

3 A vomitu ſingultus & oculi rubri, malum.

4 A ſudore horror, non bonum.

5 A maniâ dyſenteria, aut hydrops, aut exſtaſis (ſive mentis alienatio,) bonum.
S. 6. A. 21.

6 A morbo diuturno appetitus proſtratus, & meracæ *alvi* egeſtiones, malum.

7 A multo potu rigor & delirium, malum.
S. 5. A. 5.

8 Ex tuberculi intùs ruptione exſolutio, vomitus, & lypothimia fit.
S. 6. A, 27.

9

9 A ſanguinis fluxu delirium aut etiam convulſio, malum.

S. 5. A. 3.

10 Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut ſpaſmus, aut delirium, malum.

11 A pleuritide peripneumonia, malum.

12 A peripneumonia phrenitis, malum.

13 Ab ardoribus vehementibus ſpaſmus, aut tetanus, malum.

14 A plaga in capite ſtupor, aut delirium, malum.

S. 5. A. 2. S. 7. A. 24. 58.

15 A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum.

S. 4. A. 25. S. 7. A. 78.

16 A puris ſputo phthiſis & fluxus, malum. Poſtquàm vero ſputum retentum fuerit, moriuntur.

S. 5. A. 12. 14.

17 A phlegmone hepatis ſingultus, malum.

S. 5. A. 58.

18 A vigilia ſpaſmus, aut delirium, malum.

19 Ab oſſis denudatione eryſipelas, malum.

20 Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum.

21 A forti pulſu in ulceribus hæmorrhagia, malum.

22 A dolore diuturno partium circa ventrem ſuppuratio, malum.

23 A meraca alvi egeſtione dyſenteria, malum.

Sect. 7. Aph. 75.

24 Ab oſſis diſſectione delyrium, ſi in vacuum penetraverit.

S. 7. A. 14.

25 A purgantis potione convulſio, lethale.

S. 4. A. 16. S. 5. A. 1. 4. S. 7. A. 41.

26 A dolore vehementi partium circa ventrem, extremarum frigus, malum.

S. 4. A. 48. S. 7. A. 1. 72.

27 Mulieri in utero gerenti teneſmus ſuperveniens, abortire facit.

S. 5. A. 34.

28 Quodcumque os, vel cartilago, vel nervus diſſectus fuerit in corpore, neque

augetur, neque coaleſcit.

S. 6. A. 19.

29 Si à leucophlegmatia detento diarrhæa ſuperveniat vehemens, ſolvit morbum.

S. 6. A. 14.

30 Quibus ſpumoſæ egeſtiones in diarrhæis, his à capite phlegma defluit.

31 Quibus febricitantibus in urinis hypoſtaſes (ſive ſubſidentiæ) craſſiori farinæ ſimiles fiunt, longam infirmitatem ſignificant.

32 Quibus autem bilioſæ hypoſtaſes, ab initio verò tenues acutum morbum ſignificant.

33 Quibus autem divulſæ fiunt urinæ, iis vehemens eſt in corpore turbatio.

34 Quibus veró in urinis ſuperſtant bullæ, nephritidem ſignificant, & longam fore invaletudinem.

35 Quibus autem pingue eſt & confertum quod ſuperſtat, his nephritidem, & acutas *affectiones* ſignificat.

36 Quibus veró nephriticis exiſtentibus prædicta ſigna accidunt, doloreſque circà muſculos ſpinales fiunt, ſiquidem ad loca exteriora fiunt, apoſtema exſpecta futu-

 rum

rum extrorsùm. Si vero dolores fiant magis ad interna loca, etiam apoſtema exſpecta magis introrsum futurum.

37 Qui ſanguinem vomunt, ſiquidem ſine febre, ſalutare: ſi vero cum febre malum. Curandum autem refrigerantibus ex ſtipticis (ſive adſtringentibus.)

S. 4. A. 25.

38 Catharri in ventrem ſuperiorem ſuppurantur in viginti diebus.

S. 4. A. 8.

39 Si *quis* ſanguinem & grumos mingat, & ſtranguriam habeat, & dolor incidat ad perinæum, & hypogaſtrium, & pectinem, partes circà veſicam laborare ſignificat.

S. 4. A. 80.

40 Si lingua derepentè impotens fiat, aut aliquid corporis apoplecticum, melancholicum hoc ipſum fit.

S. 6. A. 23.

41 Si ſeniorum hypercatharſi (ſeu nimiæ purgationi,) ſingultus ſuperveniat, non bonum.

S. 4. A. 16. S. 5. A. 1. 4. S. 7. A. 25.

42 Si febris non à bile detineat, aquâ multâ & calidâ in caput affusâ, ſolutio fit febris.

43 Mulier ambidextra non fit.

44 Qui empyici uruntur, aut ſecantur, ſiquidem purum effluat pus & album, evadunt. Si verò ſubcruentum, & cœnoſum, & fœtidum, pereunt.

S. 6. A. 27. S. 7. A. 45.

45 Qui *ad* hepar ſuppuratum uruntur, aut ſecantur, ſi quidem pus effluat purum & album, evadunt: in tunica enim pus ipſis eſt. Si verò effluat velut amurca, pereunt.

S. 7. A. 44.

46 In doloribus oculorum poſtquàm merum bibendum dederis, & multâ calidâ laveris, venam ſecato.

S. 6. A. 31.

47 Hydropicum ſi tuſſis habeat, deſperatus eſt.

S. 6. A. 35.

48 Stranguriam & dyſuriam vini potus & phlebotomia ſolvit. Secandæ veró internæ venæ.

S. 6. A. 36.

49 Ab angina detento tumor & rubor in pectore ſuperveniens, bonum: foras enim vertitur morbus.

S. 5. A. 10. S. 6. A. 25. 37.

50 Quibus ſpacelatum fuerit cerebrum in tribus diebus pereunt: ſi veró hos effugerint, ſani fiunt.

51 Ster-

51 Sternutatio fit ex capite, percalefacto cerebro aut perhumectato, *quod eſt* in capite vacuo. Erumpit enim aër qui intus eſt foras. Strepit autem, quia per anguſtum ipſi eſt tranſitus.

52 Quibus hepar circumcircà dolet, his febris ſuperveniens ſolvit dolorem. S. 6. A. 40.

53 Quibus conducit ſanguinem de venis auferre, his oportet vere venam ſecare. S. 6. A. 47.

54 Quibus inter diaphragma & ventrem phlegma concluditur, & dolorem exhibet non habens in alterutrum ventrem tranſitum, his per venas in veſicam versô phlegmate, ſolutio fit morbi.

55 Quibus hepar aquâ repletum ad epiploon eruperit, his venter aquâ impletur, & moriuntur.

56 Anxietatem, oſcitationem, horrorem, vinum parpari aquâ potum, ſolvit.

57 Quibus in urethra tuberculum fit, his *eo* ſuppurato & perrupto, ſolvitur dolor. S. 4. A. 82.

58 Quibus cerebrum concuſſum fuerit ab aliqua cauſa, neceſſe eſt eos ſtatim mutos fieri.

Si à febre detento collum invertatur

&

& deglutire non poſſit, tumore non exiſtente in collo, lethale.
S. 4. A. 35.

59 Corporibus humidas carnes habentibus oportet famem inducere. Fames enim ſiccat corpora.

60 Ubi in toto corpore mutationes, & corpus perfrigeratur, & rurſus caleſcit, aut color alius ex alio mutatur, longitudinem morbi ſignificat.
S. 4. A. 40.

61 Sudor multus, calidus aut frigidus, ſemper fluens ſignificat habere redundantiam humidi *corpus*. Educere igitur oportet robuſto quidem supernè, debili verò infernè.
S. 4. A. 41. 42.

62 Febres non intermittentes ſi per tertiam vehementiores fiant, periculoſæ. Quocumque autem modo intermittant ſignificant ſine periculo *eſſe*.
S. 4. A. 43.

63 Quibus febres longæ, his aut tubercula, aut ad articulos dolores fiunt.
S. 4. A. 44.

64 Quibus tubercula diuturna, aut ad articulos dolores ex febribus fiunt, hi cibis copioſioribus utuntur.
S. 4. A. 45.

65 Si quis febricitanti cibum det, convaleſcenti quidem robur, ægrotanti verò morbus *fit*.

S. 1. A. 10. 11. 19. S. 2. A. 9. S. 7. A. 67.

66 Per veſicam prodeuntia inſpicere oportet, an *ſint* qualia ſanis prodeunt. Quæ igitur minimè his ſimilia, ea morboſiora, ſimilia vero ſanis, minimè morboſa.

67 Et quibus egeſtiones ſi permiſeris ſtare & non moveris, ſubſident veluti ramenta & ſi pauca fuerint, parvus fit morbus: ſi vero multa, magnus. His confert alvum infernè purgari. Si autem non purgatâ alvo dederis ſorbitiones, quanto plures dederis, eò magis lædes.

S. 2. A. 9. S. 7. A. 65.

68 Quæ cruda deorſum ſecedunt, ab atra bile ſunt: ſi plura, major, ſi pauciora, minor eſt morbus.

69 Screationes in febribus non intermittentibus lividæ, & cruentæ,ublioſæ, & fœtidæ, omnes malæ. Secedentes veró bene, bonæ: per alvum etiam & veſicam, & ubicumque quid ſecedens reſtiterit non purgatum, malum.

S. 1. A. 25. S. 4. A. 47.

70 Corpora oportet, ubi quis purgare vult, benè fluentia facere. Et ſiquidem ſurſum

sùm velit benè fluentia facere, alvum ſiſtere. Si veró deorsùm, humectare.

S. 1. A. 22. 24. S. 2. A. 9. S. 4. A. 13.

71 Somnus, vigilia utraque ultrá modum fientia, morbus.

S. 2. A. 3.

72 In non intermittentibus febribus, ſi externa quidem frigida ſint, interna veró urantur, & ſitim habeant, lethale.

S. 4. A. 48.

73 In febre non intermittente, ſi labrum, aut naſus, aut ſupercilium diſtorqueatur, ſi non videat, ſi non audiat jam debilis exiſtens: quidquid horum fiat, lèthale.

S. 4. A. 49.

74 Leucophlegmatiæ hydrops ſupervenit.

75 A diarrhæa dyſenteria.

S. 7. A. 23.

76 A dyſenteria lienteria.

S. 6. A. 43.

77 A ſphacelo abſceſſus oſſis.

78 A ſanguinis vomitu phthiſis & puris purgatio ſursùm.

S. 7. A. 15. 16.

A

A phthiſi rheuma ex capite. A rheumate diarrhæa. A diarrhæa inhibitio purgationis ſursùm. Ab inhibitione, mors.

A ſanguinis ſputo, puris ſputum & fluxio. Poſtquam autem ſputum inhibetur moriuntur.

79 Qualia etiam in his, quæ per Veſicam, & in his quæ per alvum fiunt egeſtionibus. Et in his quæ per carnes & ſicubi aliâ naturæ *viâ* corpus exeat: ſi parùm parvus morbus fit, ſi multum, magnus: ſi admodùm multum, lethale iſtud eſt.

S. 7. A. 66.

HIPPOCRATIS APHORISMI INTERJECTI.

QUIBUSDAM SECTIO OCTAVA.

I.

QUicumque ſuprá quadraginta annos phrenitici fiunt, non admodùm convaleſcunt: minús enim periclitantur illi, quorum naturæ & ætati morbus familiaris fuerit.

Sect. 2. Aph. 34.

2 Quibuſcumque in ægritudinibus oculi in morbis ex propoſito lacrymantur, bonum. Quibus vero ſinè propoſito malum.

S. 4. A. 52.

3 Quibus in febribus quartanis exiſtentibus ſanguis è naribus fluxerit, malum.

4 Sudores in judicatoriis diebus fientes vehementes & veloces, periculoſi *ſunt*: qui expelluntur ex fronte ſicut guttæ & aquæ ſcaturientes, & frigidi valdè & multi, neceſſe eſt enim talem ſudorem prodire cum violentia, & laboris exceſſu, ac expreſſione diuturna.

S. 4. *A.* 42.

5 Ex chronico morbo alvi fluxus, malum. *S. 7. A. 6.*

6 Quæ

6 Quæcumque pharmaca (ſeu medica-menta) non ſanant, ea ferrum ſanat. Qua ferrum non ſanat, ignis ſanat : quæ vero ignis non ſanat, ea oportet judicare in-curabilia.

7 Phthiſes maximè fiunt à decimo octa-vo anno uſque ad trigeſimum quintum.

S. 3. A. 29. S. 5. A. 9.

8 Quæ veró ſecundum naturam facta ad phthiſim, omnia quidem vehementia, quæ-dam veró etiam lethalia. Secundum autem *erat*, ſi quidem eo tempore ægrotet, quod tempus ipſum opem fert morbo: quemad-modúm febri ardenti æſtas, hydropico hyems. Obtinet enim victoriam id quod eſt à natura : at ſpleni plus adfert timoris

S. 2. A. 34. S. 3. A. 3. S. 8. A. 11.

9 Lingua nigra & cruenta, cum quid horum ſignorum abeſt, non valdè malum, ſignificat enim morbum minorem.

10 Hæc igitur in febribus acutis obſer-vare oportet, *ut noſcamus* quandò quis moriturus ſit, & quandó evaſurus.

11 Teſtis dexter frigidus & convulſus, mortiferum eſt.

12 Ungues nigri, & digiti manuum, ac pedum frigidi, contracti, vel remiſſi, proximam mortem ſignificant.

S. 7. A. 1.

13 La-

13 Labra livida aut etiam reſoluta & inverſa, & frigida, mortifera.
S. 4. A. 49. S. 7. A. 73.

14 Aures frigidæ, pellucidæ, contractæ, mortiferæ ſunt.

15 Et ſcotomiâ (ſive tenebricosâ vertigine) laborans, & lucem averſans, & ſomno ac ardore multò detentus, deſperatus eſt.

16 Et paulatim rabie agitari incipiens, & non agnoſcens, & non audiens, neque intelligens, morti proximus eſt.
S. 4. A. 49. S. 7. A. 73.

17 Moriturus hæc *ſigna* fiunt manifeſtiora, & ventres attolluntur, & inflantur.

18 Terminus verò mortis *eſt* cùm animæ calor aſcendit ſuprà umbilicum ad locum diaphragmatis ſuperiorem, & exuritur humor omnis. Cum autem pulmo & cor calore in mortiferis locis coacervato humorem amiſerint, exhalat confertim caloris ſpiritus, cujus ope compactum erat totum cum toto. Prætereà partim per carnes, partim per capitis ſpiracula, undè vivere dicimus, relinquens anima corporis domicilium, & frigidum, & mortale ſimulacrum, ſimul cum bile, & ſanguine, & phlegmate, & carne deditione reddit.

FINIS.

IN

INDEX

Littera ſ. ſignificat Sectionem, a. verò Aphoriſmum.

A

ABORTUS cauſæ. Sect. 3. Aphor. 12. ſ. 5. a. 31. 34. 44. 45. ſ. 7. a. 27. Signa. ſ. 5. a. 53.

ABSCESSUS ubi fiant. ſ. 4. a. 31. 32. 51. Renum quotuplices. ſ. 7. a. 36. Poſt oſſis ſphaceliſmum. ſ. 7. a. 77. In articulis quomodo ſolvantur. ſ. 4. a. 74.

ACUTI MORBI ſigna. ſ. 7. a. 32. 35. Natura. ſ 1. a. 7. ſ. 2. a. 23. Prognoſtica. ſ. 2. a. 14. 19. 23.

ÆSTUS circa ventriculum malus. ſ. 4. a. 65.

ÆTAS conſideranda. ſ. 1. a. 2. Ætatis temperies. ſ. 1. a. 14. 15. Prognoſis. ſ. 2. a. 34. 45. ſ. 8. a. 1. Diæta. ſ. 1. a. 13. 14. 15. 16.

INFANTUM morbi. ſ. 3. a. 24. Dentitio. ſ. 3. a. 25. Eorum judicium. ſ. 3. a. 28.

PUERORUM morbi. ſ. 3. a. 26. Prognoſis eorum. ſ. 3. a. 28. Puerorum fames ſ. 1. a. 13. 14. Diæta. ſ. 1. a. 16.

PUBESCENTIUM morbi. ſ. 3. a. 27. Prognoſis. ſ. 3. a. 28. Iis autumnus & æſtas proſunt. ſ. 3. a. 8.

JUVENUM morbi. ſ. 3. a. 29. Prognoſis ſ. 2. a. 39. 45. ſ. 5. a. 7. Fames. ſ. 1. a. 13. Alvus. ſ. 2. a. 20. 53.

VIRORUM morbi. ſ. 3. a. 30. ſ. 6. a. 57.

Vale.

Valetudo in autumno & hyeme. ſ. 3. a. 18. Fames. ſ. 1. a. 13.
SENUM morbi. ſ. 1. a. 14. ſ. 3. a. 31. Prognoſis. ſ. 2. a. 39. 40. 49. ſ. 3. a. 12. ſ. 6. a. 6. ſ. 8. a. 1. Valetudo in æſtate. ſ. 3. a. 18. Temperies. ſ. 1. a. 14. Fames. ſ. 1. a. 13. 14. Alvus. ſ. 2. a. 20. 53.
ALVI PROFLUVIUM in tabe. ſ. 5. a. 14 In gravida. ſ. 5. a. 34. In pleuritide. ſ. 6. a. 16. In ophtalmia. ſ. 6. a. 17. In balbis. ſ. 6. a. 32. In morbo diuturno. ſ. 8. a. 5. In ſurditate. ſ. 4. a. 28. Quomodo ſolvatur. ſ. 6. a. 15.
AMBI DEXTERITAS. ſ. 7. a. 43.
ANIMI DEFECTIO quid ſignificet. ſ. 2. a. 41. In venæſectione neceſſaria. ſ. 1. a. 23. Poſt profluvia menſtrua. ſ. 5. a. 56. A calido. ſ. 5. a. 16. A tuberculi ruptione. ſ. 7. a. 8.
ANNI TEMPUS ſeu conſtitutio conſideranda. ſ. 1. a. 2. Prognoſis indè deducenda. ſ. 2. a. 34. ſ. 8. a. 8. Alii aliis temporibus fiunt morbi. ſ. 3. a. 19. Mutationes temporum quos pariant morbos. ſ. 3. a. 1. 4. 8. Conſtitutio ſicca ſalubrior. ſ. 3. a. 15. Quos morbos inducat. ſ. 3. a. 16. 17. Humidior minus ſalubris. ſ. 3. a. 15. Quos morbos pariat. ſ. 3. a. 16.
IN VERE ſaluberrimum. ſ. 3. a. 9. Pueri benè valent. ſ. 3. a. 18. Qualis diæta. ſ. 1. a. 15. 18. Confert medicari. ſ. 6. a. 47. ſ. 7. a. 53. Morbi graſſantes. ſ. 3. a. 20. ſ. 6. a. 55. Prognoſis conſtitutionis vernæ. ſ. 3. a. 11. 12.

IN ÆSTATE ſenum valetudo firma. ſ. 3. a. 18. Qualis diæta. ſ. 1. a. 18. Qualis purgatio inſtituenda. ſ. 4. a. 4. 6. Qui morbi. ſ. 3. a. 6. 21. Conſtitutionis æſtivæ prognoſis. ſ. 3. a. 2. 6. 13. 14. ſ. 8. a. 8.

IN AUTUMNO morbi. ſ. 2. a. 25. ſ. 3. a. 4. 22. ſ. 6. a. 55. Mediâ ætate conſiſtentes benè valent. ſ. 3. a. 18. Diæta. ſ. 1. a. 18. Morbi pernitioſi. ſ. 3. a. 9. Tabidis malus. ſ. 3. a. 10. Conſtitutionis prognoſis. ſ. 3. a. 4. 13. 14.

IN HYEME mediæ ætatis benè valent. ſ. 3. a. 18. Diæta. ſ. 1. a. 15. 18. Purgare. ſ. 4. a. 4. 7. 9. 12. Prognoſis. ſ. 3. a. 2. 11. 12. ſ. 8. a. 8.

ANGINA familiarior quô tempore? ſ. 3. a. 16. 20. 22. Prognoſis ejus bona. ſ. 6. a. 37. Mala. ſ. 5. a. 10.

APOPLEXIA familiarior quô tempore? ſ. 3. a. 16. 23. Quâ ætate? ſ. 3. a. 31. ſ. 6. a. 57. Cura ejus difficilis. ſ. 2. a 42.

AQUA quænam bona? ſ. 5. a. 26. Calidæ effectus. ſ. 7. a. 42.

AROMATUM ſuffitus quid faciat? ſ. 5. a. 28.

ARS medendi longa. ſ. 1. a. 1. Ad eam requiſita. ſ. 1. a. 1.

ARTICULORUM dolores quibus accidant? ſ. 4. a. 44. ſ. 7. a. 63. Quibus non? ſ. 6. a. 28. 29. 30. Quomodò ſolvantur. ſ. 5. a. 25. Tubercula. ſ. 7. a. 63.

ASTHMATIS tempus. ſ. 3. a. 22. Prognoſis. ſ. 6. a. 46. Cui ætati familiarior? ſ. 3. a. 26. 30.

AUDITUS quid in febribus indicet. ſ. 4. a. 49. ſ. 7. a. 73. Obtuſus quo tempore? ſ. 3. a. 5. 17. Acutus quo tempore? ſ. 3. a. 17. Qua ætate. ſ. 3. a. 31.
AURES frigidæ mortiferæ. ſ. 8. a. 14.
AUSTER quos morbos creet. ſ. 3. a. 5.
AUTUMNUS *vide* anni tempora.

B

BALBI cui obnoxii ſ. 6. a. 32.
BALNEA id doloribus oculorum. ſ. 6. a. 31. ſ. 7. a. 46.
BILIS atra lethalis. ſ. 4 a. 22 23 24 Bilis atræ ſigna. ſ. 7 a. 68
BILIOSA dejectio cui bona vel mala? ſ. 4 a. 28.

C

CALCULI ſigna. ſ. 4 a. 79
CALIDI commoda. ſ. 5 a. 18 22 Incommoda. ſ. 5 a. 16 Calidum innatum quando & quibus ſit copioſum. ſ. 1 a. 14 15
CALORIS mutationes. ſ. 4 a 40 ſ. 7. a. 60 Calor in parte particulari. ſ. 4 a. 39
CALVI prognoſis. ſ. 6 a. 34.
CANCRI OCCULTI quo pacto tractandi. ſ. 6 a. 38
CAPITIS DOLOR quo tempore. ſ. 3 a. 13 23 Signum. ſ. 4 a. 70 Diæta. ſ. 5 a. 64 Prognoſis. ſ. 6 a. 51. Curatur venæſectione. ſ. 5 a. 68 Evacuatione per alias partes. ſ. 6 a. 10 Capitis gravitas. ſ. 3 a. 5 17 Ejus cauſa calidum. ſ. 5. a. 22 Vulneris capitis prognoſis. ſ. 7 a. 14 Ulcus capitis calidum juvat. ſ. 5 a. 22.
CARNIS effœminationis cauſa. ſ. 5 a. 16.

CARTILAGO perſciſſa non coaleſcit. ſ. 6 a. 19 ſ. 7. a. 28.

CATHARRI quâ ætate familiares? ſ. 3 a. 12 21 Cauſa eſt frigus. ſ. 5 a. 24 Signum in diarrhæa. ſ. 7 a. 30.

CEREBRI diviſi ſymptomata. ſ. 6 a. 50 Concuſſi. ſ. 7 a. 58 Syderati. ſ. 7 a. 50 Cerebro diſſecto lethale. ſ. 6 a. 18 Frigus ei nocet. ſ. 5 a. 18.

CIBI faſtidium quandó malum. ſ. 6 a. 3 ſ. 7 a. 6 Curatur vomitu. ſ. 4 a. 17 In quibus contingat. ſ. 2 a. 32 Subſtractio. ſ. 1 a. 10 11 19 Copioſi ſigna. ſ. 2 a. 8. 17 ſ. 4 a. 41 45 ſ. 7 a. 64 Copioſi effectus. ſ. 2 a. 17 Quibus exhibendi. ſ. 1 a. 15 18 Quibus non. ſ. 7 a. 65 Pauci cibi quibus. ſ. 1 a. 14 15 18 Cibi quando per partes & ſenſim offerendi. ſ. 1. a. 17 ſ. 2 a. 7 51 Prognoſis. ſ. 2 a. 31 32 Deterior. Quando præferendus. ſ. 2 a. 38 Citó reficientes. ſ. 2 a. 18.

CIRCUITUS *vide* paroxyſmos.

COLLI intorti prognoſis. ſ. 4 a. 35 ſ. 7 a. 58

COLORUM diverſorum prognoſis. ſ. 4 a. 40 ſ. 7 a. 60.

COMITIALIS morbus *vide* epilepſiam.

CONCOCTA purganda. ſ. 1 a. 22.

CONCEPTUS ſigna. ſ. 5 a 41 59 61 Maſculi. ſ. 5 a. 42 48 Impedimentum. ſ. 5 a. 46 62.

CONSUETUDO attendenda. ſ. 1 a. 16 17 ſ. 2 a. 38 49 50.

CONVULSIO (ſivè ſpaſmus) qua ætate? ſ. 3 a. 25 Ob ardores vehementes. ſ. 7 a. 13 Ab elleboro. ſ. 4 a. 16 ſ. 5 a. 1 4

ſ. 7 a. 25 Ab ebrietate. ſ. 5 a. 5 A frigore. ſ. 5 a. 17 20 Ab ileo. ſ. 7 a. 10. A repletione vel evacuatione. ſ. 6 a. 39 A ſanguinis fluxu. ſ. 5 a. 3 ſ. 7 a. 9 A vulnere. ſ. 5 a. 2 Febri ſuperveniens, peſſimum. ſ. 2 a. 26 ſ. 4 a. 49 Poſt menſtrua. ſ. 5 a. 56 Poſt evaneſcentes tumores. ſ. 5 a. 65 Ob vigilias. ſ. 7 a. 18 In febre acuta, malum. ſ. 4 a. 66 67 Imminentis in febribus ſignum. ſ. 4 a. 68 ſolvitur febri. ſ. 4 a. 57 ſ. 5 a. 70.

CORDIS vulnus lethale. ſ. 6 a. 18.

CORPUS fluxile. ſ. 2 a. 9 ſ. 4 a. 13 ſ. 7 a. 70 Procerum. ſ. 2 a. 54.

CORYSÆ *vide* catharros.

COXÆ luxatio. ſ. 6 a. 59 60.

CRINES *vide* pilos.

CRASSITIES partium ad umbilicum. ſ. 2 a. 33 Craſſities noxia. ſ. 2 a. 44

CRISIS ſigna. ſ. 2 a. 13 ſ. 4 a. 71 Critici dies. ſ. 2 a. 24 ſ. 4 a. 36 61 Poſt criſim relicta. ſ. 2 a. 12.

CRUDA ab atra bile. ſ. 7 a. 68 Non movenda. ſ. 1. a. 22.

CUCURBITULÆ ubi neceſſariæ ſ. 5 a. 50.

CUTIS rara in mulieribus. ſ. 5 a. 69 Cutis aridæ & duræ, laxæ & raræ prognoſis. ſ. 5 a. 71.

D

DEJECTIONES ab atra bile. ſ. 7 a. 68 Sinceræ. ſ. 7 a. 6 23 67.

DELIQUIUM animi *vide* animi defectionem.

DELIRIUM ab oſſis præſectione. ſ. 7 a. 24

24 A multo potu. ſ. 7 a. 7 In febre intermittente. ſ. 4 a. 50 A ſanguinis profluvio. ſ. 7 a. 9 Ab ileo. ſ. 7 a. 10 A vigilia. ſ. 7 a. 18 A vulnere capitis. ſ. 7 a. 14 ſolvit tremores. ſ. 6 a. 26 A ſomno ſolvitur. ſ. 2 a. 1 Quodnam tutiús ſ. 6 a. 53.

DENTIBUS frigidum noxium. ſ. 5 a. 18 Lentores adnati. ſ. 4 a. 53.

DENTITIO Quos pariat morbos. ſ. 3 a. 25.

DIAPHRAGMATIS vulnus lethale. ſ. 6 a. 18.

DIARRHÆA quibus temporibus? ſ. 3 a. 16 21 Quâ ætate? ſ. 3 a. 25 31 Ejus prognoſis. ſ. 2 a 14 Mala. ſ. 5 a. 34 ſ. 6 a. 16 Lethalis. ſ. 5 a. 12 14 Cum ſpumoſis excrementis. ſ. 7 a. 30 Succedit ei dyſenteria. ſ. 7 a. 75 Curatio diarrhææ. ſ. 6 a. 15 Curat morbos. ſ. 4 a. 60 ſ. 6 a. 17 ſ. 7 a. 29 Vide plura de alvi profluvio.

DIÆTA. *Quære* victûs rationem.

DIES JUDICATORII. ſ. 4 a. 36 61

DIGITORUM prognoſis. ſ. 8 a. 12

DOLOR quando non ſentitur. ſ. 2. a. 6 Minús ſentitur. ſ. 2 a 46 Augetur dum pus fit. ſ. 2 a. 47 Calido lenitur. ſ. 5. a. 22 Frigidâ ſolvitur. ſ. 5 a. 25 Item torpore. ſ. 5 a. 25 Capitis quæ ſigna habeat? ſ. 4 a. 70 V. S. curandus. ſ. 5 a. 68 Quomodo ſolvitur? ſ. 6 a. 10 Lethalis. ſ. 6 a. 51 Vehemens circa ventriculum. ſ. 4 a. 66 Laterum & pectoris. ſ. 6

ſ. 6 a. 5 Quâ tempeſtate? ſ. 3. a. 5 17 23 Jecoris ſolvitur febre. ſ. 7 a. 52 Ventris quotuplex? ſ. 6 a. 7 Prognoſis. ſ. 4 a. 11 ſ. 7 a. 22 26 Oculorum quibus abigatur? ſ. 6 a. 31 ſ. 7 a. 46 Hypochondriorum febre ſolvitur. ſ. 6 a. 40 Lumborum quo tempore? ſ. 3 a. 23 Infernâ purgatione opus eſſe ſignificat. ſ. 4 a. 20 Articulorum quo tempore? ſ. 3 a. 16 20 Quâ ætate? ſ. 3 a. 31 Poſt longas febres. ſ. 4 a. 44 ſ. 7 a. 63 Cauſatur à copioſiore alimento. ſ 4 a. 45 Podagrici quo tempore moveantur? ſ. 6 a. 55 Iſchiadici quâ tempeſtate? ſ. 3 a. 22 Prognoſis eorum. ſ. 6 a 59 60

DYSENTERIA quibus temporibus? ſ. 3 a. 11 12 16 22 Quâ ætate? ſ. 3 a. 30 Subſequitur diarrhæam. ſ. 7 a. 75 Prognoſis. ſ. 6 a. 3 43 ſ. 7 a 76 Bona eſt in lienoſis. ſ. 6 a. 48 Item in mania. ſ. 7 a. 5 Mala á ſincera dejectione. ſ. 7 a. 23 Lethalis ab atra bile. ſ. 4. a. 24 Item cum caruncul is. ſ. 4 a 26

E

EBRIETATIS prognoſis. ſ. 5 a 5

EMPYEMA quando generetur? ſ. 5 a. 8 10 A ſanguine extravaſato. ſ. 6 a. 20 A pleuritide. ſ. 5 a. 8 Ab angina. ſ. 5 a. 10 Ab ulceribus. ſ. 5 a. 65 Empyematis prognoſis. ſ. 5 a. 15 ſ. 7 a. 44

EPILEPSIÆ quibus temporibus? ſ. 3 a. 16 20 22 Quâ ætate? ſ. 3 a. 29 Prognoſis. ſ. 5 a. 7 Curatio. ſ. 2 a. 45

ERYSIPELAS ab oſſe denudato. ſ. 7 a. 19

Uteri

Uteri gravidarum lethales. ſ. 5 a. 43 Prognoſis. ſ. 6 a. 25 ſ. 7. a 20 Eryſipelatis non exulcerati cura. ſ. 5 a. 23

EVACUATIO vaſorum ſpontanea. ſ. 1. a 2 Artificialis. ſ. 1 a. 3 23 Quo tempore inſtituenda? ſ. 1 a. 22 Evacuatio ubi neceſſaria? ſ. 2 a 8 ſ. 4 a. 41 Undè judicanda? ſ. 1 a. 23 Ad animi deliquium. ſ. 1 a. 23 Quâ viâ? ſ. 1 a. 21 Repentina magna & noxia. ſ. 1 a. 3 ſ. 2 a. 51 Paulatim bonæ. ſ. 1 a. 23 Evacuatio ſanat morbos, qui repletione fiunt & contrá. ſ. 2 a. 22

EUNUCHI. *Quære* podagram. Calvi non fiunt. ſ. 6 a. 28

EXACERBATIONES. *Quære* paroxyſmos.

EXCRETIONES PER ALVUM copioſiores. ſ. 1 a. 23 Spumoſæ. ſ. 7. a 30 Qualitas. ſ. 1 a. 12 23 ſ. 2 a 14 15 ſ. 4 a 22 47 ſ. 7 a 69 79 Cum ſurditate. ſ. 4 a. 28 Celeres. ſ. 2 a. 18 Cruentæ. ſ. 4 a. 25 Cum caruncullis. ſ. 4 a. 26 Parvæ. ſ. 4 a. 83 In febribus continuis. ſ. 4 a. 47 ſ. 7 a. 69 Similes ſanis. ſ. 2 a. 15 In bilioſis. ſ. 2 a. 15 ſ. 5 a. 64 Curatio in bilioſis. ſ. 4 a. 28 Ab atra bile lethales. ſ. 4 a. 22 23 24 Nigræ quid ſignificent. ſ. 4 a 21 Sanguis niger excretus bonus. ſ. 4 a. 25 Lethalis. ſ. 4 a 23 Sinceræ malum. ſ. 7 a. 6 23

PER VESICAM. ſ. 7 a. 66 Qualitas. ſ. 7 a. 99 Veluti ſtrigmenta. ſ. 7 a. 67

EXOLUTIO ex tuberculi ruptione. ſ. 7 a 8 Exolutionis frequentioris prognoſis.

ſis. ſ. 2 a 41 Exolvuntur citò ſani dum purgantur. ſ. 2 a. 36
EXSCREATIONES in febribus quænam malæ? ſ. 4 a. 47 ſ. 7 a. 69
EXTENUATIONIS prognoſis ſ. 4 a. 23 In febribus. ſ. 2 a. 28 In gravidis. ſ. 5 a. 55 Diæta. ſ. 5 a 64 Extenuationes ad extremum non ducendæ. ſ. 1 a. 3

F

FAMES diverſa pro ætatibus. ſ. 1 a. 13 Excedens malum. ſ 2 a. 4 Non fert laborem. ſ. 2 a. 16 Fames quibus corporibus proſit. ſ. 7 a 59
FAUCES Exaſperat aquilo. ſ. 3 a. 5 Faucium ægrotantium prognoſis. ſ. 2 a. 15
